

# T H E C H A R T E R

dictam aut in aut super aliqua Bona vel Merchandizas infra PROVINCIAM prædictam aut infra Portus aut Navium Stationes dictæ PROVINCIAE onerandas seu exonerandas Et hanc Declarationem nostram in omnibus Curiis et Prætoriis et coram quibuscunque Judicibus nostris Hæredum et Successorum nostrorum pro sufficienti et legitimâ Liberatione Solutione et Acquietantia inde de Tempore in Tempus recipi et allocari Volumus ac pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris jubemus et mandamus præcipientes omnibus et singulis Officiariis et Ministris nostris Hæredum et Successorum nostrorum et sub gravi Indignatione injungentes ne quid in contrarium Præmissorum ullo unquam Tempore attemptare audeant aut eisdem ullo Modo contraveniant Sed præfato modò Baroni de *BALTIMORE* et Hæredibus ac præfatæ PROVINCIAE de *TERRA MARIÆ* Incolis et Mercatoribus prædictis eorumque Servis et Ministris Factoribus et Assignatis in plenissimo hujus CHARTÆ nostræ Usu et Fruitione omni Tempore prout decet auxilientur et assistant.

XXI. ET ULTERIUS VOLUMUS ac per Præsentes pro NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris concedimus præfato modò Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis et dictæ PROVINCIAE Terræ-tenentibus Habitatoribus præsentibus et futuris et singulis eorum quod PROVINCIA prædicta Terræ-tenentes vel Incolæ ejusdem Coloniae aut Patriæ vel Terræ *Virginiae* aut alicujus alterius Coloniae deductæ vel deducendæ Membrum vel Pars de cætero non habeantur vel reputentur aut de eisdem dependentes sint aut Regimine subsint in aliquo Ipsamque et Ipsos ab eisdem separamus et separatos esse VOLUMUS per Præsentes Ac quòd Coronæ nostræ *Angliæ* immediatè sint subiecti et de eadem dependentes imperpetuum.

XXII. ET si fortè imposterum contingat Dubitationes aliquas Quæstiones circa verum Sensum et Intellectum alicujus Verbi Clausulæ vel Sententiæ in hâc præsentî CHARTA nostrâ contentæ generari EAM semper et in omnibus Interpretationem adhiberi et in quibuscunque Curiis et Prætoriis nostris obtinere VOLUMUS præcipimus et mandamus quæ præfato modò Baroni de *BALTIMORE* Hæredibus et Assignatis suis benignior utilior et favorabilior esse judicabitur PROVISO semper quod nulla fiat Interpretatio per quam Sacro-sancta DEI et vera Christiana Religio aut Ligeantia NOBIS Hæredibus et Successoribus nostris debita Immutatione Prejudicio vel Dispendio in aliquo patiantur Eo quod expressa Mentio, \* &c.

XXIII. IN cujus Rei, &c. T. R. apud *Westmonasterium* XX<sup>o</sup> Die Junii per Breve de privato Sigillo.

\* So Endeth the Attested Copy, taken in the Year 1758, from the original Record remaining in the Chapel of the Rolls, and signed by HENRY ROOKE Clerk of the Rolls, which was lent me by his Excellency HORATIO SHARPE, Esq; from whence the above is transcribed.—The said Copy is entitled at the Head, *Tertia Pars Patentium de Anno Regni CAROLI Octavo*; and at the End is written as in the Sect. XXIII.